Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 139
Quelle:
Copyright:

tam ordinaria, quam interlineari ſtipatum, ut habemus in gloſſatis *Bibliis*, Capitum hodierna diviſione numeris in margine adſtitutis, et praemiſſo vulgari argumento: *Matheus ex Judea ſicut in ordine primus ponitur* &c. Extrema Folia nigredine quadam adfecta ſunt.

XCI.

U. 12 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 51. f. eleganter perſcriptus et rubricis enotatus, annoque 1540. donatus Collegio ſuo apud S. *Nicolaum* a docto Praeſule *Vien. Joh. Fabro Evangelium S. Marci* eſt, columna media Textum lineis ad recipiendam *Gloſſam* inter ſe diſtantibus exhibens, et *Gloſſis* utrinque ad latera ſtipatum. Praeit *Prologus Hieronymi*, ut in Bibliis gloſſatis: *Marcus Evangeliſta dei et Petri in baptiſmate filius* &c. Gloſſae etiam praeter *interlinearem* e Gloſſa *ordinaria* delectae ſunt.

XCII.

R. 908 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 125. f. per tres columnas pereleganter ſcriptus et coloribus illuſtratus, olim Collegii S. J. *Viennae*, habet *Evangelium S. Lucae*, medio quidem luculente exaratum, utrinque autem *Gloſſa Walafridi Strabi*, quam ordinariam dicimus, ſtipatum, accedente etiam inter lineas illa, quam ad *Anſelmum Laudunenſ.* referre amant, prout in *Bibliis gloſſatis* impreſſis cernimus. Initium eſt a Prologo perperam *Hieronymo* tributo: *Lucas natione anthiocenus. arte medicus. diſcipulus apoſtolorum. paulum ſecutus usque ad confeſſionem eius. ſeruiens domino fuit ſine crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios. LXXXIV. annorum obijt in bithinia* &c. Ita usque ad illa verba: *Lectorem obſecro* &c. quae etiam in multis aliis Exemplis deſunt. Quae de Uxore memorantur, leguntur quidem ſimiliter apud *Hieronymum de Viris illuſtr.* C. 7. in quibusdam Mſſ. et Impreſſis, ſed ea nec meliores Codices, neque graecus Interpres, quem *Sophronium* Autori συγχρονον putant, agnoſcunt. Vide, ſi vacat, *Fabricii Biblioth. Eccleſ.* p. 48. et *Cavеum* edit. *Baſil.* 1741. T. I. p. 285. Ad calcem Noſter litera quadrata: *Explicit. Lucas Evangeliſta.*

XCIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1638 XIV. Folior. 127. f. min. nitidiſſime exaratus, coloribus ſpecioſus et prius *Bibliothecae Civicae Vindob.* continet *Evangelium S. Lucae* Gloſſa tam ordinaria, quam inter lineas ſtipatum, non tamen omni illa, quae in *Bibliis* gloſſatis hodie reperitur; delectus enim arbitrium aut penes Curatores, aut penes Scriptores Codicum erat. Prologi *Hieronymiani* Paginae duae primae prorſus extritae ſunt; reliqua omnia optime ſervata. Thecae anteriori inſcriptum: